



# Disputatio medica inauguralis de angina

<https://hdl.handle.net/1874/345212>

10.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE

ANGINA,

QUAM

AUSPICE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

UT ET

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima*

*Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

LUDOVICUS DE DIEU, AMSTELOD.

*Ad diem 15. MAJI, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc xciij.

*Viro Perillustri*

JOANNI  
HUDDE,

Amsterodamensium Consuli  
Quartum decimum, Præfecto  
Societati Indicæ Orientali,  
Avunculo magno, omnem  
ætatem colendo & veneran-  
do,

*Has positiones inaugurales  
de Angina*

MDCCLXIII D.D.D.L.M.Q.

LUDOVICUS DE DIEU  
AUCTOR.



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
ANGINA.

THESIS I.



Angina ab angendo dicitur, quod sc. ii qui hoc corripuntur morbo quam maxime de anxietate & suffocatione conquærantur. Græci communi nomine hunc affectum *κυνδύχη* vel *συνδύχη* vocare solent, ut patet ex variis locis Gal. & Hippoc. quæ vide apud Foesium, & alios; à quibus inter cætera notatur, sic dici etiam, quod *Sues* & *Canes* sæpius hoc malo tentari credantur, vel quod *Canes* sanitatis quoque tempore, linguam exerere consueverint; quod & ii faciunt qui Angina corripuntur: hinc Barbari corrupta voce Squinantiam dicunt.

4 DISPUTATIO MEDICA

I I.

Non tamen omnes, qui de anxietate conquærun-  
tur, anginofi sunt. Quærenda ergo est exactior de-  
terminatio, & dicendum quid Medici per hanc vo-  
cem intelligant.

I I I.

Iis hic morbus nihil aliud est, quam respirandi  
aut deglutendi, seu etiam utriusque difficultas,  
ægris non de pectore, ut in Asthmate, Pleuritide,  
aliisque ejus affectibus, sed de tumore aut inflamma-  
tione faucium conquærentibus.

I V.

Per Fauces intelligunt internum oris locum, *hoc  
est*, evidentem illam amplitudinem, quæ aperiendo  
os, ac linguam comprimendo, conspicitur, ubi  
& columella & tonsillæ, & gulæ seu Pharyngis, &  
asperæ arteriæ seu Laryngis extrema conveniunt.

V.

Pars affecta vulgo statuuntur Fauces, & qui-  
dem eas inflammatione tentatas esse creditur. Sed  
cum Ægri non semper & proprie de inflammatione  
conquærantur, addenda signa quibus sese prodit hic  
affectus.

V I.

Conquærantur Laborantes de faucium affectu cum  
suffocationis sensu & spirandi difficultate, nec non  
deglutitione si non prohibita, saltem valde molesta.  
Accedit sæpius dolor & calor in faucibus, ut &  
febris.

Cum

## VII.

Cum vero aliqui Anginosi tamen dicti, non ita de dolore, febre, aliisque mox enarratis conquarantur, in quorum etiam faucibus nullus apparet tumor; hinc accidit ut Medici *Anginam* in varias dividant species, sc. in Veram, & Notham seu Spuriam. Vera iterum apud eos dividitur in varias species. 1. Cum inflammatio, seu tumor, & rubor nullus appareat in faucibus, nec in cervice, sed tamen violenta adsit strangulatio, adeo ut laborantes in thoracis penetralibus sibi circa cor & pulmones malum quandoque latere existiment, sicque suffocationis metus incutiatur, cum acuta valde febre; & hæc proprie *κυνάγχη* dicitur. 2. Cum fauces, hoc est, tonsillæ, imo & lingua & columella, cum laryngis & pharyngis extremis, manifesta inflammatione tentantur; nullo tamen tumore aut rubore in cervice conspicuo, febre interim continuâ, respiratione & deglutitione difficillimis; hanc speciem *παράκυνάγχη* vocant. 3. Ubi non tantum sunt inflammatae fauces, sed & in cervice adest tumor, rubor, calor & dolor cum febre, difficiliore respiratione, nec non deglutitione maxime læsa, ita ut potus per nares redeat: hanc *συνάγχη* Auctores dicendam statuunt. 4. Est tumor absque vel cum parvo ardore, rubore, & dolore faucium, ubi & febris minus vehemens, respiratione non ita molestâ, quam deglutitione: hanc *παράσυνάγχη* dicunt. Quæ species ab aliis, & non omnino malè, ad Notham, si levior præcipue, refertur. 5. Est & alia Anginæ species, quæ nullus faucium proprius affectus dicendus, sed potius Vertebræ Cervicis Introluxatio; unde præmuntur fau-

ces seu gulæ gutturisque introitus. Dignoscitur hinc, quod signorum, sc. ruboris &c. quæ in aliis speciebus prodita sunt, nullum appareat. Quoque ponè Cervix est excavatus, casus aut ictus antecessit, vel humor vertebrarum vincula laxarit.

## V I I I.

Enumeratis hisce Anginæ speciebus, quærendum unde hæc prodeat diversitas, sc. quod nunc deglutitio, nunc respiratio impediatur; quod jam rubor, dolor, ardor & febris adsint, jam absint.

## I X.

Statuimus hæc adeo diversa esse ratione diversæ causæ, (de qua postea) & diversi loci affecti. Nam licet ante dictum, fauces esse partem affectam; variæ tamen sunt partes fauces constituentes, sc. larynx, pharynx, columella, tonsillæ, & cæteræ, ut ex Anatomia constat. Adde quod pharynx & larynx varios iterum habeant musculos, internos & externos.

## X.

Creditur ergo in veræ Anginæ Prima specie, ubi nihil nec in faucibus, nec in cervice apparet, affici internos gutturis musculos, respirationi, non vero ita deglutitioni inservientes, unde & hæc actio maxime læsa. Dico creditur, cum (licet statuatur vulgo inflammationem hic latere) constet, hos salvos inventos musculos in iis, qui ex hoc malo abiere, adeoque potius Pulmones ipsos accusandos nos docuit Clarissimus Vir P. Bernagie, Amstel. Med. Profess. Ordinarius, & Nosocomii Publici Med. quod

quod qui intelligunt, non mirabuntur febrem adeo acutam esse huic speciei comitem.

X I.

In secunda specie affici docuit internos, imo & externos gutturis musculos; unde & facile patet, quare in faucibus conspiciuntur rubor, tumor, &c. Imo & quare febris (omnium sensibilibus partium inflammationum fidelis comes) accedit.

X I I.

In tertia specie, ubi & Cervix est inflammata, afficiuntur etiam glandulae jugulares, & vicinae, una cum musculis aërophagi & cervicis. Paucis, ubi deglutitio magis læsa quam respiratio, magis afficiuntur musculi aërophagi, minus pulmo & musculi gutturis.

X I I I.

In spuria afficiuntur non gutturis musculi, sed vel gulae externi, vel adjacentes glandulae, de quibus in sequentibus plenius; unde & clarum, quare hic febris non ita intensa.

X I V.

Verum hæc species non tantum differunt ratione loci affecti, sed & causarum: quæ ut recte pertractentur, notandum primo, quid per inflammationem intelligant Medici. Illa enim horum omnium symptomatum causa vulgo statuitur: adde Anginam vulgo dici Faucium Inflammationem.

X V.

Plenior tractatio de inflammatione huc non spectat, sed ad eum locum ubi de ea in genere ex professo agitur: siquidem hæc tam spectat ad Pleuræ, He-



Hepatis, aliarumque partium, quam faucium inflammationem. sufficiat ergo hîc breviter dixisse, quod Medicis dicatur *Tumor cum rubore, dolore, & calore.*

## X V I.

Quomodo vero, & a qua causa inflammatio oriatur, non etiam hîc latè prosequendum duco, de iis statim in tractatione causarum pauca additurus.

## X V I I.

Sed objiciat aliquis, hoc nequaquam dici potest de omni Angina; saltem de Spuria non omnia illa prædicantur; neque in prima specie veræ Anginæ rubor aut tumor deprehenditur: ad quod respondemus; Primo, nos concedere hæc non prædicari de Notha, quæ proinde non dicitur simpliciter Angina, sed addita voce spuria. Verum ad Anginæ tractationem ille tumor non rubens, non ardens refertur; quod sc. proxime ad hanc accedat, imo plerumque in eam transeat: adde quod rarissime, præcipue in calidioribus Regionibus, absque omni rubore, calore, ardore conspiciatur. Secundo, quantum ad veræ Anginæ primam speciem; statuunt Practici tumorem & ruborem, licet non apparat in faucibus ad oculum, abscondi in gutture, aut potius pulmonibus, (vide Par. x.) ægris interim de faucibus & suffocatione conquærentibus.

## X V I I I.

Hisce præmissis redimus ad causas efficientes, ob quas Anginæ tam diversæ species oriuntur. Et quidem primò in memoriam revocandum, ab omnibus ferè concedi, (quod & Hippocrates docuit de ipsa An-

Angina) generalem inflammationum causam esse præternaturalem moram, seu, ut alii loquuntur, Subsistentiam atque tardiozem motum sanguinis in nonnullis vasis, sive illa ante fuere repleta, sive non; cujus proinde probationi non multum inhæreo, dum progredior ad explicandum, qui fiat ut tam diversa oriantur ex ea subsistentia: nempe quod nunc dolor, nunc tumor, rubor, & febris magis vel minus urgeant.

XIX.

Illam differentiam non tantum a diverso loco dependere, sed a diversa quoque sanguinis constitutione non male creditur; seu enim sanguis anginosi eius est constitutionis, ut massa illa biliosa, vel etiam strictiori significatione sanguinea dicatur, hoc est, si rubræ illæ partes, quæ strictè sanguineæ dicuntur, vel eæ quæ postea bilem constituunt, longe majore proportione sint, quam secundum leges naturæ vel bonæ constitutionis esse solent vel debent: & è contra in venis & arteriis portio aquearum aliarumque particularum longe sit minor, subsistentia sanè illius massæ in faucibus ibidem majorem excitabit ardorem & ruborem, quam si particulæ aqueæ ita excessu peccent; quo posteriori in casu tumor potius erit decolor, nec ardor & febris ita infestabunt. Atque hujus rei magis prolixam disquisitionem, sc. quid sit rubor, &c. (compendio jam studens) non addo, quod illa potius ad Physicam, quam Medicinam practicam pertineat.

XIX.

Verum non possum non addere, præter hanc  
 B etiam

etiam aliam nobis redditam a Professore supra citato ; se contingere posse ex causis remotioribus , mox jungendis , ut subsistentia illa non tantum oriatur in tam diversa sanguinis constitutione , sed quod primo incipiat vel in ipsis vasis sanguiferis , vel non ita in iis , sed potius in vasis salivæ secretioni & excretioni dicatis ; putabatque nominatus Professor posteriori in casu , quod attendenti clarissimum , non ita expectari posse ruborem & ardorem , sed potius tumorem decorem , & salivæ viscidioris proventum uberiores , & deglutitionem difficiliorem , sicuti etiam experientia docet evenire in notha. Ea igitur , modo jam dicto , ratione partis affectæ & causæ a cæteris Anginæ speciebus differt , quamvis posterior species priorem facillime etiam producat : compresso enim vase , vas quoque vicinum comprimitur , ut olim de hac Angina docuit Hippocrates.

#### X X I.

Ex dictis ergo patet , proximam Anginæ veræ causam *dictarum partium inflammationem* recte constitui.

#### X X I I.

Inflammationis verò causæ erunt Anginæ remotiores & antecedentes. Olim in Scholis recte omnes compendii gratia revocarunt tandem ad duo summa genera ; sanguinis quantitatem vel qualitatem vitiatam , quarum subdivisiones & causas vide in Institutionibus.

#### X X I I I.

Verum est & aliud quid circa causas considerandum :

dum: nempe præfente Plæthorâ vel Cacochymiâ non mox oriri femper faucium aliarumque partium inflammationem, nifi accedat aliquid cujus interventu (cum immediate post fapè hæc difficultas fentiri folet) oriri non male vulgo creditur: ac proinde caufa occasionalis, ab aliis procatarctica dici folet; latere illud folet in nonnullis vafis ex fex rebus non-naturalibus Vr. Gr. aère & potu frigido: illa enim præfertim fi homo ante ab exercitio aliave caufa excalefactus, dum in fauces admittuntur fanguinem & falivam increffant & minus mobilem reddunt, unde vaforum diftenfio, dolor, &c. fymptomata; à qua vaforum & mufculorum diftenfione mox, viâ aëris vel cibi anguftata, fequi debet respiratio aut deglutitio molefta, cæteraque fymptomata fuccedunt, pro ut magis afficiuntur Laryngis aut Pharyngis mufcûli, vel externi vel interni, cæteræque partes fauces conflituentes vel adjacentes.

## X X I V.

Ad caufas etiam refertur naturalis difpofitio, ætas, anni tempus, &c. Sic juvenes Anginæ magis obnoxii dicuntur; cuius rei ratio creditur, quod fanguine multo, eoque biliofo abundant, unde & frequentes hæmorrhagiæ. Sic etiam notatur Viros magis Anginæ obnoxios quam Feminas, quod & Hippocrates obfervaffe videtur *lib. 6. Epid.* ubi in epidemica conflitutione plures Viros Anginâ laboraffe, pauciffimas Feminas teftatur: addit & ex fua fententia rationem, quod fc. caufa erat in aère; minus autem prodibant Mulieres Liberæ: (fc. Græcæ) verum alias etiam adjungit caufas Riverius, quas apud

eum vide: hoc tamen observatum, quod viris magis frequens Angina: sed hoc intelligendum de vera, non de spuria: illa enim Mulieribus frequentior esse solet. Sic & de spuria præcipuè intelligendas *Apho. 16. Sect. 3. assiduis imbribus morbi fere sunt, febres longæ, fluxiones abvi, putredines, Epilepsiæ, Apoplexiæ, Anginæ, &c.* Et ejusdem sectionis *Aph. 20. Vere enim furores, Melancholia, Epilepsiæ, fluxiones sanguinis, Anginæ, &c.* quod de utraque specie intelligendum puto. Ut & ejusdem sectionis 22. *Autumno æstivi etiam multi morbi sunt, & febres quartanæ, & erraticæ, lienes, aqua inter cutem, tabes, urinæ stillicidia, Lienteriæ, Dysenteriæ, Coxæ dolores, Anginæ, &c.* Quare autem eo anni tempore magis contingant hi vel illi morbi, Vr. Gr. æstate biliosi, hyeme pituitosi, id pertinet ad generalem de hisce tractationem.

## X X V.

Cum igitur non tantum ratione partis affectæ, sed & ratione causarum antecedentium internarum; Prognosis & Curatio in Angina differt; notanda & Signa quæ ostendunt an in hoc vel illo ægro producat a copia sanguinis, quoad qualitatem laudabilis, an vero a sanguine bilioso aut pituitoso, &c. Desumitur hæc causarum dignotio partim ex signis, quæ ostendunt hoc vel illo modo humores redundare in corpore, h. e. excedente portione esse in sanguinis massa; quæ signa vide in institutionibus. Partim etiam desumitur dignotio ex particularibus Anginæ signis: nam si Angina fiat a copia sanguinis

non

non ita qualitate peccantis, præter Plethoricæ constitutionis signa, adfunt major rubor & calor in facie, major etiam distensio in parte affecta, febris vehemens sine oris amarore: quando fit a sanguine bilioso dicto, dolor & ardor acris, febris vehementissima cum oris amarore & acrimoniæ sensu, præter biliosæ constitutionis signa in Institutionibus enumerata: si a pituitoso sanguine, præter hujus constitutionis signa, dolor & rubor minor est, sicuti & febris. De Melancholia nihil addo, quod ex antedictis clarum, modo quis attendat ad signa illius constitutionis.

X X V I

Imo & pars affecta etiam aliquid indicat de humore, quæ causa est quod credatur musculorum Laryngis inflammationem excitari a copia laudabilis sanguinis, vel etiam biliosi; quod pituita vero fauces magis aggredi dicatur, ejus rei ratio ex ante tradita explicatione petenda: quod sc. hic glandulæ secretioni ferossæ dicatæ adfunt, illic sanguifera vasa.

X X V I I

De signis differentiarum, quibus Angina ab aliis morbis, imo diversæ species Anginæ inter sese distinguantur, nihil addo, quoniam illud ex antedictis, & apud Auctores satis patet.

X X V I I I

Restat jam Prognosis: de Angina in genere dicendum, quod nulla, ne quidem Spuria contemnenda: si enim respiratio & deglutitio, duæ actiones ad vitam necessariæ lædantur, periculum adesse quis non videt.

videt. Si vero sola deglutitio, illa sæpè brevi etiam spirituum simul claudit vias.

X X I X.

Attendenti tamen manifestum, quod una species longe magis periculosa quam alia, siquidem *κυνάγχη* morbus erit exactè acutus & valde periculosus, qui sæpe paucis diebus, imo horis hominem interimit, ut innumera Medicorum observationes id testantur. Quod nequaquam mirum: in ea enim specie maxima fit constrictio & respirationis læsio, qua homo carere post nativitatem nequit. *παρὰκυνάγχη* seu secunda species parum a priore differt, minus quidem periculosa quam *κυνάγχη*; longe tamen magis quam tertia vel quarta species, *συνάγχη* vel *παρὰσυνάγχη* dicta.

X X X.

Si ergo spectetur eventus morbi, terminari is solet vel ad mortem vel ad salutem. Quantum ad modum eventus ad salutem; vel omnino & perfecte curantur ægri, vel ex hoc effectu incidunt in alium morbum. Omnino autem curantur: Primo, ubi terminatur morbus resolutione, &c. ubi tumor, rubor, & dolor disparent, disparente etiam difficiliore respiratione & deglutitione, obstaculis remotis: sæpius etiam terminatur copiosiore sputi excretionè. Sed bene attendendum hic, ne decipiamur: solet enim quandoque disparere subito tumor, & brevi post respiratio redditur magis difficilis, febris augeatur, & perit æger; qua de re nos monet Hippocrates in Coacis. Secundo terminatur transmutatione, quo spectat Hippocrates Apho. 37. lib. 6. *Angina*

correcto si tumor oriatur in collo bonum; foras enim morbus vertitur. Lib. 7. Apho. 49. Ab Angina detento tumor & rubor in pectore superveniens bonum; foras enim morbus vergit. Sed transmutatio alia quandoque contingit, quæ est maximi periculi, de hoc egit Hippocrates Sec. 5. Aphorif. 10. Quibus ex Angina liberatis ad pulmonem mali fit conversio, intra dies septem moriuntur; si vero hos effugerint, purulenti evadunt. Tertio terminatur ad salutem suppuratione, si omnino resolvi non potuit, sed in faucibus ad suppurationem pervenit, & disrupto abscessu pus effluit vel ad os, qui locus convenientissimus, vel ventriculum, vel thoracem, quæ posterior via magis periculosa, uti statim dicemus.

XXXI.

Quantum ad modos mali eventus, 1. Suffocari potest æger. 2. Translatio materiæ fit a faucibus ad pulmones; quo in casu nisi celeriter cocta exspuant læthaliter sese habent, & Pthifici fiunt.

XXXII.

Angina ex colli primarum vertebrarum luxatione, quæ fit ex humorum depositione paulatim facta, ubi vertebrae non omnino a suo loco separaverit, curari potest: dissolutio autem, quæ subito ita fit, ut vertebra violenter a sua sede penitus dimoveatur, ea incurabilis est.

XXXIII.

Curatio igitur variat pro ratione diversæ speciei & causæ. Quantum ad legitimæ curationem, in genere dici potest, quod in pluribus conveniat cum cura-



curatione aliarum inflammationum, sc. ratione causæ; sicque primo evacuandum & revellendum esse eo nomine, quia in mora hic periculum. Magnæ sanguinis evacuationes, vel etiam repetitæ per v. f. Cucurbitulas (nisi quid prohibeat) commendantur, & successus respondere observationes quotidianæ, & libri practitorum testantur. Hoc ergo nomine sanguis evacuari solet e brachio, mox ex pede, nisi quid obster, vr. gr. menses, &c. atque notandum, quod hæc sanguinis evacuatio simul conveniat ad causam morbi antecedentem, plethoram sc. seu pura sit seu impura, tollendam vel minuendam: adde quod simul ratione symptomatum prodest; sc. febrem & respirationem difficilem simul curat. Dixi nisi quid prohibeat: nam quandoque pestilens possit esse Angina (cujus & observationes extant, quæ specialem curam indicat per ea quæ specificè malignitati resistere dicuntur.

## X X X I V.

Ad eundem finem cucurbitulæ cruribus, imo & scapulis applicantur. Hisce practici addunt scarificationes, imo & Frictiones dolorificas.

## X X X V.

Dum hæc tentantur, imo dum advocatur Chirurgus, Enematibus alvus sollicitetur.

## X X X V I.

Revulsionibus per sanguinis evacuationes & enemata institutis, ubi deglutire potest æger, laxantia, imo si causa morbi id permittat, purgantia propinentur ad eundem finem; quorum materiam & formulas facile videmus omnibus in practicis.

Nec

XXXVIII.

Nec minor cura sit repellere materiam a parte affecta ; hunc in finem præscribuntur , quæ leniter constringendo impediunt , ne sanguis tanta copia fluat in partis affectæ vasa , eaque distendat , de quorum repellentium operandi modo agunt Auctores , ubi in genere de repellentibus bene notandum , ea non adhibenda nisi in principio , neque diu iis insistendum. tale Gargarisma repellens parari potest sequenti modo haud ingratum.

℞. *Malum Granatum cum cortice*  
*℞ granis . . . . . N<sup>o</sup> I.*  
*Coq ex pluviâli , colat. lib. iſ. adde*  
*Mel. Rosar.*  
*diamor. an. ʒſ.*  
*ſal. prunell. ʒj.*  
 M. F. *Gargarisma.*

Repulſione inſtituta , cogitandum de reſolutione materiæ hærentis : nam repellentia nequaquam conveniunt , nec adhibentur ratione materiæ jam in vaſis partis affectæ ſtagnantis ; ſed fluentis ad eam , ut ante dictum : ad reſolvendum ergò fiat gargarisma non ex repellentibus , ſed ex digerentibus & leviter incidentibus , quale erit ſequens :

℞. *Rad. liquirit. ʒij.*  
*ſol. byſſopi Mj.*  
*Ficus pingues N<sup>o</sup> xij.*  
*Coq ex aq. bord. integri ,*  
*in Colat. lib. j. ſolve*  
*Mel. diamor. ʒvj.*

C

Sal.

*Sal. prunell. zj.*

*M. F. Gargarisma.*

X X X V I I I.

In spuria magis incidentia & calida præscribenda: in genere notant circa gargarismata in inflammatis faucibus, illas non movendas, sed potius liquorem per aliquot tempus in ore retinendum, sicque expuendum, ne ea agitatione pars inflammata magis doleat.

X X X I X.

Quod si resolvi non possit, sed ad suppurationem vergere ex signis appareat, illa quam citissime adjuvanda per maturantia dicta, quorum materiae & formulæ ubique apud Riverium, aliosque Auctores occurrunt.

X L.

Abfolvi quæ de Gargarismatis ad omnes indicationes dicenda erant continuato ordine; interim tamen cætera tam interna, quam topica non sunt negligenda.

X L I.

Ad revulsionem ergo sanguinis evacuationibus (si convenient) institutis, vel etiam (si causa morbi id indicet) iis vel omissis vel dilatis, laxantia aut purgantia (pro ut species morbi, causa, & circumstantiæ postulant) præscribantur, quorum materia & forma varianda pro diversitate causæ & speciei, & cæterarum circumstantiarum ante notatarum.

X L I I.

Revulsione ita celebrata, solent evacuationes tentari ex locis parti affectæ magis propinquis, ver. gr.

ex

ex venis sub lingua, imo & jugularibus, hocque vocare solent auctores derivare.

X L I I I.

Toto decursu curationis applicentur topica ad indicationes facientia: ad resolutionem commendatur præ cæteris, tanquam specifica proprietate huic affectui conveniens, *nidus Hirundinum*, ex quo additis requisitis fiat Cataplasma, ut Riverius & alii docent. Apud eosdem Auctores reperiuntur Cataplasmata, Emplastra, aliæque formulæ maturantium, si malum eousque protrahatur.

X L I V.

Interim ab initio ad doloris sedationem, partiumque externarum relaxationem inunctiones ex *Ol. Chamemel. Liliorum Albor. Amygdal. dulcium*, & similibus præscribi solent.

X L V.

Si maturum sit Apostema, quamprimum id aperiendum, de cuius modo prolixè satis Riverius, & alii. In prognosi quoque notandum, optimum esse signum, si spuma copiosa & bene cocta proveniant: toto ergo morbi decursu ad hoc respiciendum; hoc ergo nomine Linctus, &c. expectorationem promoventia commendantur.

X L V I.

De spuria Anginæ curatione non multum ex professo addo, quod satis puto clarum, hic purgantia & incidentia plura posse.

X L V I I.

Ultimo loco dicendum aliquid de suffocatione, ubi sc. omnibus tentatis, hæc ita urget sine remissione,

ne, ut jam videatur periturus æger, faucibus omnino clausis; an scilicet eo in casu Laryngotomia tentanda? Respondemus quæstionem esse maximi momenti; graves practicos stare ab utraque parte, pauca tamen reperiri exempla, quæ eam cum successu fuisse institutam affirmant.

## X L V I I I.

De Curatione Anginæ a luxatione vertebrarum solum dicendum, quod omninò dependeat, si possibilis, a vertebrarum repositione; quæ operatio Chirurgica est.

## X L I X.

De Diætâ fileo; quod in vera Angina pauca comedat æger, & etiam qui parumper saltem in praxi versatus est, noverit diætâ secundum notatas indicationes disponere.

## C O R O L L A R I A.

- I. *Febris essentia consistit in perturbata sanguinis mixtura.*
- II. *Adeoque nec calor nec frigus sunt de febris essentia, sed tantum ejus effecta.*
- III. *Signum esto Pathognomonicum pulsus pr. nat. frequentior.*
- IV. *Plethora datur.*
- V. *Ejusque remedium est venæsectio.*
- VI. *In variolis & morbillis ante macularum eruptionem (modo ætas ferat) liberè quoque vena secanda.*

F I N I S.